Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ SEX,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS
RR. DD. ANTONIO MAGNOL, Decano Venerando, HENRICO HAGUENOT, JACOBO LAZERME, FRANCISCO DE SAUVAGES, CAROLO SERANE, FRANCISCO DE LAMURE, FRANCISCO IMBERT, R. D. MAGNOL, Coadjutore, Regis Consiliariis, Medicis & Professoribus meritissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO GABRIELE DE POMIÉS DE St. BONNET, Doctore Sorbonico, Abbate Sancti Policarpi, & Vicario Generali.

Pro Regiis Cathedris Botanices & Chimiæ in unam conjunctis ex Decreto Sanctioris Consilii, vacantibus in Universitate Aquisextanâ.

Per obitum RR. DD. STEPHANI BERTIER & JOSEPHI BEGUE, Regis Consiliariorum & Professorum meritissimorum.

Quas Deo favente, & auspice Deiparâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, triduo integro manè & sero, diebus 2, 3 & 4 mensis Augusti anni 1753.

ANDRÆAS-GEORGIUS-JOSEPHUS PELICOT, Aquisextanus, D. M. M.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Regis, Occitaniæ Comitiorum, & Universitatis Typographum. 1753.

DEO
UNI ET TRINO,
VIRGINIQUE
DEI-PARÆ;

D. D. D. C.

ANDRÆAS-GEORGIUS-JOSEPHUS PELICOT.



QUÆSTIO PRIMA.

AN VEGETABILE REGNUM REMEDIA SUPPEDITET curando Colico dolori nephritico?



EA est hominis conditio ut plurimis obnoxius vivat morbis, è quibus multi, ad quos ineluctabili necessitate trahitur, multi quos sapientiam illius esset præcavere: porrò inter morbos qui indolis pessimæ haberi solent, ille meritò recenseri potest, qui renes, iisque continuos obsidet ureteres. Talis est dolor nephriticus, qui nihil aliud sonat apud Medicos, quàm molesta sensatio, modò major, modò minor, ad lumborum regionem internè referenda, quam semper excipit, aut urinæ secretionis imminutio, aut ejus omnimoda suppressio. Dolor ergò simplex esse debet, ut hunc merè nephriticum denominari liceat; sin autem huic comes adjungatur inflammatio, & inflammationem subsequentia phœnomena, hunc nephritidis nomine insigniri convenit cum recentioribus Medicis, licet antiquorum diversa fuerit denominatio (*a*).

Doloris itàque nephritici in ipsis renibus, aut in eorum ureteribus sedes est; in iis ergò partibus causa morbi proxima hærebit; nec aliundè repetenda, quam ab eâ fibriliarum nervearum in iisdem partibus distensione quæ earum rupturam minitatur: hinc sequitur tantùm fore dolorem quanta erit ipsa nervorum distentio, nullum, (saltem in ipsissimâ

(*a*) Gorræi, def. med.

parte ruptâ) ſi fiat diſruptio, aut in ſtatu naturali remaneat. (*a*)

Cùm igitur ex diverſo fibræ nervoſæ tenſionis gradu diverſa pendeat doloris idea; meritò accuſanda erunt tanquàm cauſæ doloris nephritici remotæ, quæcumque renum, aut ureterum nervoſas poterunt diſtendere fibras, humorum liberum & expeditum per ipſos effluxum, transfluxum impedire aut pertubare. Hùc ſpectant, 1°. Materies viſcidæ, quæ glutinis inſtar, tubulos renales urinæ ſecretorios obturant, vel vaſorum parietibus ità adhærent, ut imminutâ ipſorum diametro, difficilius permeent, & ſuos quique circuitus obeant humores. 2°. Ipſamet contractio ſpaſmodica in renibus inducta, vel propter frigus ſuſceptum, vel quâcumque aliâ de cauſâ. 3°. Ipſius ſanguinis ſpiſſitudo, cujus moleculas, non niſi difficulter excipiunt vaſa renalia, ad venulas haud tranſmittere poſſunt, quin alicubi hæreant, aut eas ad punctum ſecretionis urinariæ perducere, quin ſimilis exindè oriatur obex. Hæc ſi contingant nullo negotio eruas quò pacto dolor nephriticus excitetur, urina parcè ſecernatur, & excernatur, tandem ſi cauſa intendatur, eò uſquè omnia deveniant, ut renes inflammentur, acutiſſima febris accendatur, iisque cætera peſſimi ominis accreſcant, quæ innephritide obſervari ſolent. 4°. Vermes in renibus ſtabulantes dolorem accerſent nephriticum (*b*) (*c*). Uti docuere ſectiones cadaverum quorundam qui hoc morbo perierant. 5°. Calculi quorum præſentia, frequentiſſima morbi hujus cauſa deprehenditur (*d*). Omnium peſſima & pertinaciſſima, ut potè, qui præ ſuâ duritie, nullo nobis cognito lythontryptico remedio diſſolvi queant, quique variis ſæpiſſimè adeò hirſuti apicibus, vel tantæ magnitudinis ſunt ut hos eliminari nullâ arte ſinatur: ex ipſis tamen renibus foràs aman-

(*a*) Boerh. aph. 229.
(*b*) Holler. comment. ad aph. ſect. 6.
(*c*) Bonet ſepulch. anat. tom. II. p. 579.
(*d*) Riverius, pag. 345.

dari

dari contingit eos, quorum ſuperficies ſat levigata, moles exigua ſatis, ut tubulos urinarios renum, ipſosque ureteres permeare poſſint, ſivè arte paretur via, ſivè ſolis naturæ viribus expellantur.

Hactenùs enarratæ cauſæ ſymptomata inducunt ſæpè teterrima; præter enim dolorem memoratum, urinæque ſuppreſſionem aut imminutionem, dantur quandòque cardialgiæ, nauſea, vomitus, ſtupor cruris è directo renis laborantis, imò & ejus paralyſis; teſticuli retrahuntur : quæ tamen omnia non jugiter obſervari ſolent, nec niſi dolorem ſummoperè acutum ſubſequuntur; acutior autem cùm calculus hæret in uretere quam cum in rene. Hæc ſi diù durent, ſupervenit epilepſia ob continuos ſpaſmos, in gravidis abortus. (*a*)

Triſtiſſima igitur iis portenduntur qui diro illo morbo afflictantur, ſi cauſa (calculum finge) ità in renibus aut ureteribus deliteſcat ut hunc auferre non detur arti. Nequè à novo futuro dolore immunis cenſendus erit æger, etiamſi calculos aliquot rejecerit, & dolor inducias fecerit : metuendum erit intereà nè mox alii generentur, aut geniti dolorem exſuſcitent. Aſt ſi non à calculis pendeat dolor nephriticus debellari poterit facili negotio; niſi fortè à vermibus intrà renum ſubſtantiam foveatur morbus, quo in caſu rariſſimo equidem, an mors potiùs immineat, quam ſpes ſalutis affulgeat, non noſtrum eſt determinare, cùm eâ de re, nec ſignum pathognomonicum, tradiderint Autores, nec therapeïam commonuerint.

Antequàm Medicus ſe doloris nephritici curationi accingat, de indole morbi, ejusque cauſâ ſingulari fovente certus ſit: non fortè hunc indubitanter edoceret ipſe dolor, ſedem eſſe in renibus, vel ureteribus, niſi ad doloris gradum, indolem & quantitatem excretorum per urinæ vias attenderet, & ad omnia ſimùl quæ apparent ſymptomata. Non de cauſâ ſingulari certò pronuntiaret; niſi ſedula de antecedentibus

(*a*) Ettmuler, tom. 1. pag. 617.

fieret inquisitio. Ergò ex omnibus simùl sumptis haurienda est diagnosis integra; nè seorsim sumpto cuidam credens symptomati, in errorem inducatur.

Sicut pleraque ex symptomatibus quæ quandòque dolorem nephriticum concomitantur, ab ipsiusmet doloris intensitate desumenda sunt; ità plerisque succurras, si dolorem compescere possis. Summâ igitur ope nitendum est primò, ut tensis fibris nervosis procuretur laxitas: Ad id operis conducent venæ sectiones, quæ etiàm inflammationis metum amovebunt; conducent & narcotica, balnea aquæ tepidæ, fotus & enemata cum decocto plantarum emollientium, inprimis parietariæ, quàm in tali casu mira præstitisse, fidelis & iterata docuit observatio, præsertim cùm hujus decoctum pro potu usurpatur. Egregii insuper auxilii sunt, ptisanæ cum diureticis frigidis, virtute emollienti præditis, & è regno vegetabili desumptis, v. g. cum radicibus altheæ, nympheæ, floribus malvæ & nympheæ. Iis omnibus adjungi possunt emulsiones cum seminibus frigidis paratæ. Ast si calculum constet hærere intrà cavum ureterum, nihil illius magis favebit exitui, quàm oleum amigdalarum dulcium, cujus ope laxantur ureteres, eorum lubricantur parietes, ipsaque calculi superficies: hinc non solùm facilior versùs vesicam reddetur descensus; sed & hebescet aliquatenùs stimulus calculi, imminuetur dolor, cæteraque symptomata mitiora fient. Hæc intrà paroxismi tempus: extrà verò paroxismum ad id collimet Medicus, ut calculos, & arenulas, si quæ sint, foràs eliminet: ea igitur adhibeat quæ quâdam virtute lythontrypticâ gaudere existimant, quæ cùm uberiorem urinæ secretionem promoveant, arenulas abripere possunt, & fortè calculos attenuare, & imminuere. Hujus generis, ejusque virtutis censentur remedium D. de Basville, (*a*) dominæ Stephen; calcitrapa, coronopus hortensis, cicer, saxifraga, &c. Si autem non calculo sed cui-

(*a*) Formulæ Carol. Barbeirac, pag. 161.
Histoire des Plantes des environs de Paris, herborisation première, Tournefort, pag. 13.

cumque alteri causæ prægressus paroxismus ortum debuit; ea seligat & adhibeat, quæ & causæ debellandæ, & præcavendæ in posterùm idonea judicabit; v. g. cùm accusanda est sanguinis spissitudo, diluentia, & leviter aperientia in usum esse debent, &c... Nulla autem est doloris nephritici species, nec causa singularis cognita, cui accommodari non possit aliquod remedium è regno vegetabili desumptum.

Ergò vegetabile regnum remedia suppeditat curando colico dolori nephritico accommodata.



QUÆSTIO SECUNDA.

An Caro Kermes mineralis?

QUAM facilè perverti possit usus insignis cerebri, quot, quantaque exindè toti machinæ subsequantur mala, nemini ignotum est, qui teneram nobilissimi illius visceris fabricam perspectam habet. Inter recensendos morbos capitis de Caro rectè ab Autoribus fit mentio, quique adesse dicitur quoties æger sopore, profundi somni imaginem referente detinetur, eique ità indulget invitùs, ut si vociferatione summâ, concussione validâ, punctione, aut vellicatione acri excutiatur, oculos equidèm aperiat, membra stimulata retrahat, sed mox nullo dato interrogantibus responso, in pristinum statum relabatur: intereà respiratio libera nullo stertore stipata deprehenditur. Adest ergò in hoc morbo perceptio aliqua, sed momentanea, aliquis sensus, sed parvus (*a*); adeòque

(*a*) Boerh. aph. 1045.

apoplexia levis haberi, & nuncupari poteſt. Gravior tamen eſt comate vigili, comate ſomnolento & lethargo; qui morbi videntur tantum eſſe ſpecies Cari, ſed leviores. (*a*)

Cùm igitur gradûs diverſitas totum diſcrimen ponat apoplexiam inter & Carum, cauſas quamplurimas communes habebunt, ſed in diverſo tantum gradu: verùm cum omnibus ferè inconfeſſo ſit, actionis cujuſcumque exercitium motui fluidi nervei tribuendum eſſe, haud à vero diſcedere videbimur, morbi hujus reponendo cauſam proximam in effluxu liquidi cerebroſi in organa ſenſuum, motuumque voluntariorum, & viciſſim hujus refluxu ab iisdem organis ad nervorum originem, ſivè ad ſenſorium commune, multò difficiliori quàm in ſtatu naturali paulò faciliori quàm in apoplexiâ, ſuperſtite interim, imò quandòque adaucto effluxu quodam liquidi cerebelloſi in cor, & naturalia reſpirationis organa, qui ad has functiones ſuſtinendas, & ſæpè adaugendas ſufficiat. (*b*).

Quæcumque igitur impedient quominùs liber ſit effluxus fluidi nervei in partes memoratas, hujusque ab illis refluxus, numero cauſarum remotarum adſcribentur meritò. Id efficient apprimè omnia quæ nervos prædictos in eorum compriment origine; quò ſpectant tumores varii in ipſo cerebro vel partibus continentibus enati, humores quicumque extravaſati, impacti, vel lentius quàm par eſt provoluti, ſivè id fiat defectu virium impellentium, ſivè præ ipſorum ſpiſſitudine, vel rareſcentiâ; nimia velocitas cruoris, versùs caput determinata; omnia pariter quæ libero ſanguinis reditui à cerebro ad cor obſtare valent, ut venarum jugularium compreſſio. His adde quæ intùs ſumpta, aut exterius applicata, jam recenſitis anſam præbere poſſunt; utì videlicet, ingeſta acida coagulantia, inſpiratus carbonum fumus, mineralium halitus, vulnera, contuſiones capitis. Favent & ipſa animi pathemata quæ mirum in modum totius machinæ humanæ in-

(*a*) Boerh. aph, 1084.
(*b*) Herm. Boerh. inſt. parag. 403. 404. 409. 601.

tegritatem

tegritatem perturbant (*a*) & plura hujuſmodi quorum enumeratio longior foret.

Ex traditâ definitione pateſcunt Cari ſymptomata : cujuſcumque autem ſymptomatis explicatio ex morbi aſſignatâ causâ proximâ ſpontè fluit : requiritur enim nervorum integritas, totiusque illorum tractûs libertas , ut ſuo fungantur munere. Compreſſis itàque in origine ſuâ nervis , qui motibus voluntariis ſenſibusque externis proſpiciunt ; imminuitur , aut omnimodè ſiſtitur, pro comprimentis cauſæ validitate , influxus fluidi nervei, in partes motibus voluntariis ſubditas, imminuetur ergò aut penitùs tolletur functio partis. At verò cùm cauſa comprimens, non adeò validè agat in Caro, ac in apoplexiâ ; nil mirum ſi carotici impreſſiones validas objectorum exteriùs agentium paululùm perſentiant ; undè acriter vellicati, aut puncti, membra retrahent, oculos aperient, in eundem mox relapſuri ſoporem , cùm minor ſpirituum animalium quantitas, partibus illis amandetur, & à partibus ad ſenſorium commune referatur , quàm ut motus ſenſusque liberè & conſtanter perfici poſſint.

Quæ hactenùs de Caro dicta ſunt genuinam illius à cæteris morbis ſoporoſis diſtinctionem exhibent ; differt enim ab apoplexiâ propriè dictâ, ex eò quòd carotici expergefacti, oculos aperiant, membra acriter vellicata, punctave retrahant, ſomnus minus altus ſit, ac reſpiratio ſine ſtertore fiat. A comate verò, tàm vigili quàm ſomnolento, quòd comatoſi exſuſcitati , loqui & interrogantibus reſpondere obſerventur. Tandem à lethargo quòd qui illo corripiuntur, & loquantur & delirent. A quânam autem cauſâ pendeat & foveatur Carus, ex antecedentibus & concomitantibus deſumendum erit : An enim ab hauſto carbonum fumo , mineralium halitibus, narcoticis largiori manu propinatis? &c. Anvè à cerebri commotione , febre putridâ vel malignâ cujus ſit ſymptoma , copiâ ſeri aut ſanguinis redundantis in cerebro? &c. Sedula prægreſ-

(*a*) Illuſtriſſ. D. Lazerme, de morb. cap. pag. 52.


ſorum, & præſentium percunctatio certam diagnoſim Medicum edocebit.

Quanto in periculo verſentur carotici indicat ipſe ſymptomatum conſpectus; ſed præſertim cauſa ſingularis morbi perſpecta & cognita. Sæpè enim ſæpiùs adeſt in limine apoplexia. Cùm Carus, capitis vulnera, contuſiones validas, & cerebri commotiones ſubſequitur, non niſi trepano ſanari poteſt, maximè ſi ſimùl adſit humorum extravaſatio. Verùm cùm trepani ſucceſſus valdè incertus ſit, incerta quoque prognoſis erit, nec fugiet omninò periculum inſtans, licèt hoc ſolo auxilio morbus fugari poſſit. Si verò ut ſæpè fit febribus malignis, aut putridis accreſcat; ab earum fauſto vel infauſto præſagio & eventu, ipſius Cari (veri tunc febrium ſymptomatis) pendebit exitus. Iſta tamen generalis ſtatui poteſt regula; quò gravioribus ſymptomatibus ſtipabitur Carus, eò pejoris habendus eſt ominis.

Optimam inveniet curationis methodum, qui cauſæ ſingulari cerebrum comprimenti detegendæ ſtudebit; detectæ propria cuique debellandæ accommodabit remedia. Tandiù enim durabit, aut in pejus excurret malum, quandiù aderit nervorum compreſſio: in eâ igitur tollenda, liberoque humorum per vaſa cerebri circuitu reſtituendo, totus incumbat Medicus: quibus verò modis id tentare debeat, indicat ipſamet cauſa remota & modus quo nervos comprimit. Itàque ſi à ſero v. g. ſanguinevè extravaſatis, cerebri compreſſio pendeat, arte educenda ſunt, dummodò liceat arti; ſi à venarum jugularium compreſſione, iis quàm primùm reſtituenda eſt libertas. Si à carbonum, mineraliumvè halitibus, tunc peculiaria tentanda ſunt remedia, de quibus vide Ramazzini opera de morbis artificum. Porrò cum quotidianâ obſervatione conſtet Carum, ſanguinis nimiæ quantitati in vaſis cerebri, ejuſdem rarefactioni, velocitati, ſpiſſitudini, natales debere; peculiaria cuique vitio tollendo, aut emendando præſcribi debent. In genere ea ſuadentur auxilia quæ humores à capite divertere, aut expellere poſſunt, qualia ſunt venæ ſectione

è talo, enemata acria, emetica, sternutatoria, vesicantia, cucurbitæ, quæ soporem etiàm discutiunt. At quia pleraque ex sanguinis vitiis modò recensitis à saburrâ in primis viis nidulante originem repetunt, ideò quoque, præmissâ venæ sectione si casus exegerit, optimè conducent remedia quæ saburræ morbum foventis, per vomitum vel catharsim eliminationem promovere queant, quæque sanguini mixta, illi pristinam restituant fluxilitatem. Eos omnes effectus producere valet medicamentum propositum: magnâ enim dosi vomitum, minori catharsim, minimâ diaphoresim promovet. Hinc concludere licet.

Ergò Caro Kermes mineralis.



QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm amentiæ ab Hiosciami, vel Stramonii usu oriundæ, balnea vel plantæ alexitariæ?

LIcèt Hyosciamus & Stramonium indiscriminatim, virtutis cujusdam accusentur deleteriæ; non inutilè ducimus, paucis sigillatim delineare, 1°. Quos utraque hæc planta exerere consuevit effectus in corpore humano, dùm intùs sumitur. 2°. Utriusque modum agendi qui nobis magis arridebit, & cum phœnomenis observandis congruet exponemus. 3°. Inter recensendos affectus, & circà peculiarem nobis propositum, amentiam nempè paucis differendo, examini subjiciemus, an proposita remedia conveniant, & utri magis confidendum sit? Itaque.

1°. Hyosciami variæ recensentur species, de quibus consule

Tournefortium aliosque Botanicos: de eâ tantùm hìc mentio fiet quæ hyosciami nigri nomine indigitatur (*a*) quia species illa cæteras hyosciami species antecedit vi narcotica, quæ mitiùs agunt (*b*). Hujus speciei partes omnes, gustu & odoratu nauseosæ, eâdem fermè virtute pollent, easdemque noxas inferunt. Qui folia, flores, radicem, semina plantæ hujus comedunt, ejusque decoctum, vel infusum hauriunt, multa mox patiuntur incommoda, quæ sequentibus se produnt phœnomenis. (Varia sunt equidem pro assumentis, temperamento, ætate, &c.) » Ariditate nempè faucium & linguæ (*c*), » artuum stupore, spirituum langore, pruritu universali, men- » tis alienatione, vociferatione, delirio, vertigine, visûs de- » pravatione, aut abolitione, dypsnœâ, suffocatione «; quæ phœnomena diversa quoque observare est, cæteris aliundè paribus, pro diversâ hyosciami quæ assumitur quantitate: hujus exigua quantitas, insaniam (*d*) temulantiam, producit, mediocris soporem, major convulsionem, nimia tandem mortem accersit. Planta hæc quæ intùs assumpta adeò inimica est, topicum præstans, multis in casibus suppeditat.

Stramonii prima species (*e*), nauseosa quoque, à Tournefortio descripta, in regione nostrâ communis, exotica tamen (*f*) & ex Syriâ & Ægypto ad nos delata, iisdem fermè viribus donatur narcoticis, ac hyosciamus, speciesque illi congeneres, eâdem vi inquinantur deleteriâ; plereque tamen in minori gradu. Radix & semina (*g*) foliis validiùs agunt. Singulæ interim partes, intùs parvâ dosi sumptæ, somnolentiam faciunt (*h*) Si majori furorem, convulsiones, & sudores frigidos, tandem mortem. Plurimi stupidi manent, languent diù

(*a*) Hyosciamus vulgaris, vel niger C. B. Pin. Tournefort, in inst.
(*b*) Raii historia plantarum, tom. 1. pag. 711.
(*c*) Allen synopsis medic. pract. pag. 566. tom. 2.
(*d*) Boerh. in hist. horti Lugduno Batavi pag. 309.
(*e*) Stramonium fructu rotundo spinoso, flore simplici, inst. r. h.
(*f*) Garidel, histoire des plantes des environs d'Aix, pag. 449.
(*g*) Idem. *ibid.*
(*h*) Boerh. in hist. horti Lugduno Batavi pag. 345.

&

& pereunt. Quin imò ſolus plantæ olfactus (*a*) ebrietatem producit. Hujus virtutem apprimè callebant nefarii illi, qui non ità pridem in Occitaniâ & Galloprovinciâ viatores blandè, ſed callidè, ad potationem alliciebant : propinabatur vinum venenoſi illius ſeminis particulis contaminatum, quo epoto in ſomnum verſos, temulentiam, aut alium quemcumque affectum (*b*) opibus ſpoliabant ſecurè. Hinc faceſſat uſus quem perdita ganeonum ſalacitas, turpiter promulgavit. Abſit igitur ut unquàm ſuadeatur internè : mentem enim alienat, & perturbat, & conſtitit multos qui ejus virtutem ignorantes deglutierant, à recto ratiocinio diſceſſiſſe, nec penès ipſos fuiſſe, à cachinnis, ejulatione, aut ſomno abſtinere (*c*). Quandòque verba faciunt quæ minùs incongrua videntur, eosque ſtatim ſanâ mente crederes; ſed percunctare ulteriùs: iis videas ignotum eſſe hominem cum quo colloquuntur, licèt antè aſſumptum ſtramonium hunc apprimè cognoſcerent, omniaque, quæ ab ipſis prolata fuerant oblivione periiſſe.

2°. Cùm ex dictis phœnomenis conſtet hyoſciamo & ſtramonio eandem ferè ineſſe vim narcoticam ; à modo generali quo agere exiſtimantur narcotica (*d*) utriusque iſtius plantæ actionem deſumere non dubitabimus, licèt in iis intenſior vis obſervetur deleteria : hinc eandem generalem curationis methodum requiri, mens nobis eſt in pravis effectibus hyoſciami, & ſtramonii uſui adſcribendis, quæ adversùs narcoticorum, opii, v. g. commendatur (*e*). Itàque particulæ integrantes (*f*) harumce plantarum, in ſanguinis oceanum delatæ, viribus circulatoriis provolutæ, hunc diſſolvent, mirèque

(*a*) Boerh. in hiſt. horti Lugduno-Batavi, p. 345.

(*b*) Dans certains temperamens cette ſemence produit la fureur. Garidel hiſt. des plantes des environs d'Aix, pag. 450.

(*c*) Raii hiſt. plantarum, pag. 749.

(*d*) Hyoſciamus ſomnum inducit, ad vires papaveris accedens, cautè tamen uſurpandus. Illuſtriſſ. D. Petrus Magnol, in horto regio Monſp. pag. 100. *Idem* pag. 190. Stramonia narcotica eſt, ejusque uſus periculoſus.

(*e*) Quoad curam, vide opium, inquit Allen in ſynopſi med. pract. pag. 556. tom. 2.

(*f*) Geoffroi, mat. med. tom. 4. pag. 332.

rarefacient; hinc ſequitur quod arteriæ magis dilatentur, majusque idcircò occupent ſpatium. Cùm hæc ità fiant in vaſis cerebri ſubſtantiam perreptantibus, comprimentur neceſſariò iis ſuppoſitæ nervorum origines; à quâ compreſſione ſequitur conditionum defectus quæ ad liberum functionum animalium exercitium adeò neceſſariæ ſunt. Porrò ut per ſe patet majorem arteriarum dilatationem excipit major nervorum compreſſio; undè erui liquidò poteſt diverſitas phœnomenorum quæ uſum ſtramonii & hyoſciami ſubſequuntur. Sed ut clariùs quæ de amentiâ dicturi ſumus eluſceſcant, ſequentia præmittenda ſunt.

3°. Rarefactus & æſtuans ſanguis, celerius motus, plantarum memoratarum viru inquinatus, arterias cerebri dilatans, vario modo premet cerebrum, variosque inducet affectus, prò ægri temperamento, prò ſanguinis impetu, prò variis cauſis proëgumenis diſſimilibus. Si validè comprimantur nervorum origines, & ſummoperè imminuatur influxus ſpirituum animalium ad partes voluntati ſubditas, ſenſuumque organa, aut idem omninò pereat; orientur varii affectuum ſoporoſorum gradus, pro majori, minorivè ſpirituum influxu. Si ſanguis ad cerebrum propulſus, celeriori motu quàm par eſt, non ſatis comprimat cerebrum ut fiant morbi ſoporoſi, à ſanguine celeriùs moto tendentur vaſa, uberior fiet ſpirituum animalium ſecretio, cùm major copia liquidi ſecernendi applicetur ad organa ſecretoria. Si verò tunc ab eodem ſanguine celeriùs & inordinatè provoluto, inordinatè moveantur & vibrentur emporii fibrillæ; orietur ſpirituum animalium ataxia, tùm ab inordinato illo motu fibrarum, tùm ab uberiori liquidi nervei ſecretione. At verò cùm animæ functiones pendere videantur à variis fibrarum emporii ordinatis vibrationibus, & ordinato ſimiliter ſpirituum animalium motu, manifeſtè liquet, ab iis perturbatis varias ſubſequi poſſe in animæ functionibus læſiones, quæ ſi cum errore judicii contingant deliria nuncupabuntur, quorum ſpecies variæ ſunt.

Ut ex fibris cerebri nimium tenſis, inordinatè vibratis, co-

mitante ſpirituum ataxiâ, deliria cum furore exoriri poſſunt; ità prægreſſâ earum tenſione, nimiam laxitatem, & ut ità dicam, atoniam nanciſci queunt; è quarum læſâ vibratilitate, læſâ inſuper ſpirituum animalium ſecretione, & fortè ipſorum qualitate, exurgent deliria ſtupida, vel maximè ad ſtupiditatem accedentia. In hoc ſiquidèm ſitum eſſe videtur, acumen ingenii, ut fibræ emporii debito & ordinato motu gaudeant, quod, ſtatum quemdam rigiditatem inter & laxationem ſupponere videtur, & naturalem inſuper ſpirituum conſtitutionem: debet igitur deduci acies ingenii; tùm ab optimâ ſpirituum diatheſi; tùm à debitâ fibrarum tenſione, debitoque communicato motu.

De variis deliriorum ſpeciebus ſilebimus, de maniâ, amentiâ, & moroſi hîc mentio fiet ſolùm, qui affectus, inter ſe gradu tantùm differunt. Mania igitur eſt delirium ſine febre, cum furore & audaciâ; & nimiam agnoſcit pro cauſâ proximâ fibrarum emporii rigiditatem & tenſionem. Amentia eſt delirium univerſale (*a*) ſine furore & iracundiâ; cujus cauſa continens reponenda eſſe videtur in laxitate fibrarum emporii; à quâ ſpirituum torpidus motus. Mania inducetur, quoties fibræ nerveæ tendentur à ſanguine validè in cerebro circulante, ſed difficilè propter ſuam ſpiſſitudinem. Amentiæ, illius præſertim quæ à ſtramonio oritur, cauſa proxima videtur eſſe laxitas fibrarum emporii, vel ab affectibus ſoporoſis inducta poſt nimiam compreſſionem paſſam, vel à nimiâ harumce tenſione prægreſſâ, quæ non ſolùm laxitatem, ſed atoniam ſæpè ſecùm trahit. Nec obſtat amentiam ſenilem, pendere à rigiditate quæ fit ratione provectioris ætatis. Amentia illa, ex allatâ definitione facilè dignoſcitur, & à ſtramonio, vel hyoſciamo pendere dicitur ex prægreſſis, nec inſtans portendit periculum. Moroſis ſeu ſtupiditas, merum non eſt delirium (*b*). Sed ingenii tarditas & hebetudo. Ejus

(*a*) Illuſtriſſ. D. de Sauvages, nouvelles claſſes des maladies, pag. 292.
(*b*) Idem. *ibid.*

causa, laxitas fibrarum sensorii communis, sed major quam in amentiâ; undè paralysis mentis quodam modo haberi potest.

Post assumptum stramonium aut hyosciamum, sub quâcumque formâ id factum fuerit, varianda est therapeïa, prò vario affectu inducto. Generalis tamen hæc curatio ab Autoribus non infimæ notæ, præsente adhùc in primis viis veneno, suadetur: » Horum (*a*) prima cura est, vomitum cientia » exhibere, dein clysteres acres injicere, fortesque ligaturas » cruribus adhibere, interdùm etiam cucurbitulas applicare, » quæ si non juvent venam secari in majore pedis articulo » necesse est. Aliorum verò cucurbitulas & venæ sectiones » abhorrentium, est vomitum solummodò provocare, fortes» que ligaturas & fricationes adhibere «; si hæc non sufficiunt balnea ex aquâ calidâ præscribunt: porrò à vomitu vinum propinant cui piper & cynnamomum admiscetur. Vomitu tantùm, post quem adhibuit alexipharmaca, usus est Wepferus (*b*) in curando puero qui solani furiosi easdem ferè noxas inferentis ac stramonium, baccas deglutierat. Acta Academiæ (*c*) Regiæ Scientiarum asserunt, acida vegetabilia præstans in hoc casu præbere remedium; quæ tamen crederem post vomitum exhibenda. En remedia præscribenda, dùm præsens virus ab utrâque plantâ oriundum actionem suam exerit. Porrò cùm funestum harum usum tristes sæpè comitentur reliquiæ, utì v. g. amentia, eò tunc collimare debet Medicus, ut apprimè distinguat, an amentia quæ hyosciami aut stramonii usum subsecuta est, ad maniam vergat, vel ad morosim. Si ad maniam, tunc balneum præstans offert remedium, præmissis aliis convenientibus: si verò magis ad morosim, & stupiditatam; tunc præ laxitate fibrarum cerebri, & fortè inquinatâ spirituum animalium indole, adhiberi possunt

(*a*) Raii hist. gener. plant. pag. 749. tom. 1. Joannes Boëclerus in materiâ medicâ, pag. 322. Joannes Bauhinus, Mangetus in Biblioth. pharmaceut. & alii.

(*b*) Vvepferus in cicutæ aquaticæ, hist. pag. 290.

(*c*) Les acides végetaux sont un remède pour le Stramonium, le Solanum, &c. Hist. de l'Académie Royale des Sciences, ann. 1703. pag. 57.

plantæ

plantæ alexiteriæ (*a*) quæ virtute alexipharmacâ, cephalicâ & roborante donatæ, fibrarum cerebri fractum tonum resarcire poterunt, & materiem puriorem procreandis spiritibus animalibus suppeditabunt. Ex his liquet concludi posse.

Ergò amentiæ ab Hyoscyami, vel Stramonii usu oriundæ, quandòque balnea, quandòque plantæ alexiteriæ.



QUÆSTIO QUARTA.

An Asthmati flores Benjoïni?

Asthmatis nomine intelligenda venit apud Medicos chronica & plerùmque peridioca respirandi difficultas, eos angens miserè qui huic morbo obnoxii sunt. Ut triplici potissimum de causâ, & quidem diversâ produci potest morbus ille, ità triplicem admittit divisionem: in pituitosum nempè, convulsivum, tuberculosum; quæ singulæ species brevibus describendæ veniunt.

Asthma vocamus pituitosum, quod copiam ingentem materiæ viscidæ in glandulis bronchialibus congestam, pro causâ habet; cujus indoles diversa deprehenditur: in aliis enim spissa & fermè concreta; in aliis tenuis & limpida, nunc acris, nunc omnis expers acrimoniæ. Multa autem sunt quæ vera hujus morbi principia haberi possunt. Talia sunt, 1°. Digestiones pravæ, sivè ob ventriculi debilitatem, sivè ob bilis inertiam,

(*a*) Remedia alexiteria & alexipharmaca unum & idem sonare apud neotericos constat. De his vide Mangeti bibliothecam pharmaceutico-medicam, pag. 26. tom. 1. Veteres ea distinxere, & per alixiteria, remedia venenis medentia, extrinsecus applicata intellexere; per alexipharmaca, eâdem vi pollentia intùs sumpta. Vid. Gorræi def. med.

vel quâcumque aliâ de causâ, è quibus pravæ indolis emergit chylus, aquosus sæpè & viscidus, qui vix crebris, repetitisque circulationibus mutari potest in sanguinem. 2°. Retentio insensilis transpirationis, ut fit ab aëre frigido & humido; vitio cutis induratæ, ut fit in senibus, quibus hæc asthmatis species adeò familiaris est. 3°. Ipsa humorum diathesis viscida. 4°. Pulmonum debilitas, quæ conditio adeò necessaria est, ut nullatenùs aliter concipi, & explicari posset ordo periodicus insultuum asthmaticorum. Debiles sunt pulmones ex naturali constitutione; tales fiunt ob prægressos morbos, catharros v. g. aut aëris humidi consuetudine, &c.

Si ad causam morbi continentem ejusque indolem attendatur, intelligetur facilè, quibus stipari debeat phœnomenis asthma pituitosum. Obrutis enim pondere molesto vesiculis pulmonalibus (*a*) & sæpè glutine quodam ipsarum parietibus sibi invicem quasi applicatis; fieri non potest ut respirationis motus facilè peragantur. Perdificilè igitur fient, sæpissimè cum stertore, & sibilo quodam. Aderit tussis ex sensu molesto pulmonum, quam mox sequentur sputa viscida, aquosa, pro diversâ indole materiei in vesiculis aggestæ; pulsus debilis, & sæpè intermittens. Ex hoc quoque morbo subsequi potest hydrops pectoris, & œdema pulmonum; & vicissim pectoris hydrops asthma inducere potest (*b*) (*c*). Vix datur asthmaticis requies; toto enim sæpè paroxismi decursu, multis innixi pulvinaribus, somnum captare non audent, ob perpetuum suffocationis metum; nec possunt præ tussi fermè continuâ, & ingrato pulmonum sensu, quietem omninò arcentibus.

Asthma verò convulsivum (*d*) illud est, quod ex contractione spasmodicâ musculorum mesochondriacorum pendet, nec aliam agnoscit causam proximam, quàm inordinatum fluidi

(*a*) Bonet sepulch. anat. obs. 26. tom. 1. pag. 496.
(*b*) Sepulch. anat. Bonet. obs. 86. tom. 1. pag. 524. & seq.
(*c*) Idem. obs. 72. tom. 1. pag. 515.
(*d*) Ettmuler pag. 161 & seq. tom. 1. Frid. Hoffm. pag. 94 & seq. tom. 3.

nervei motum in villos musculares prædictos, uberiùs solitò & quam par est irruentis. Hanc perversam fluidi nervei distributionem, accersunt, affectus hypochondriacus in viris, hystericus in fœminis, objecti alicujus assidua & profunda meditatio, potûs frigidi & glaciales, vermes in intestinis repetitis morsibus, ipsorum tunicam villosam molestè vellicantes, aër fœtus vaporibus nitrosis, sulphureis & metallicis (*a*), podagra repercussa (*b*), humores rheumatici ad pulmones delati, calculus in vesiculâ felleâ (*c*) & plura hujusmodi.

Horrendis stipatur symptomatibus; perdificillimè enim respirat æger, cubitis innititur, cervicem erigit, & instinctu quodam naturali, omnia respirationis organa in auxilium vocat. Fit sibilus, ex arctatâ glottidis rimâ, & per eam velocitate aëris summâ. Ingenti gravatur debilitate; nec mirum cùm per pulmones convulsos adeò parva sanguinis copia trajiciatur in cor sinistrum, ut exindè ad cerebrum minima deferatur. Itàque sanguine fermè orbato cerebro, quomodò fieri potest, ut spiritus à quibus pendent vires, non imminuantur summoperè? Adeòque tanta est sæpissimè hæc debilitas, ut in syncopem labatur, & tunc respirat faciliùs; emergit paulò post è syncope, & rem in vado diceres; sed in similem mox relabitur sincopem. Pulsum habet debilem omnimodò inæqualem, vultum rubore suffusum. Adest tussis sicca, molimen naturæ omninò inefficax ad morbum expellendum. Cor ipsum pulmonibus convulsis compatitur sæpè (*d*); Utì indicant palpitationes quibus corripitur nobilissimus ille musculus.

Asthma tandem tuberculosum, ut vox ipsa indicat, nuncupatur illud quod à tuberculis, intrà pulmonum substantiam, aut in eorum superficie externâ enatis principium repetit (*e*).

(*a*) Ramazzini oper. de morb. artif. pag. 50.

(*b*) Sydenham, cap. 10. pag. 79.

(*c*) Hoffman, tom. 3. sect. 2. cap. 2. obs. 2.

(*d*) Consulatur de his eximius, cedroque dignus, tractatus de corde, Illustrissimi Regis Galliarum Archiatri Domini de Senac, Medicinæ gallicæ Principis, & decoris. Traité du cœur, tom. 2. pag. 488. & 489.

(*e*) Sepulch. anat. Bonet. obs. 35. tom. 1. pag. 499. & alibi.

Tuberculorum autem nomine intelligimus tumores exiguos, duros, albidos in vasis lymphaticis reperiendos, quos non aliud esse deprehendas, quàm lympham merè concretam, vel vitio aliquo interno, quale est scrophulosum, vel misturâ partium heterogenearum. Forsàn sufficit talia dari in pulmonibus tubercula, ut fiat dypsnœa, minimè verò ut detur insultus asthmaticus : requiritur ergò præterea, ut quid novi pulmonibus contingat, difficilior nempè sanguinis per vasa pulmonalia transfluxus, qui toties dabitur quoties obtinebit plethora, sanguis multùm rarefiet, inspissabitur, illius notabiliter augebitur velocitas, ut fit per valida corporis exercitia, cursum præcipitem, &c. Ambæ itàque requiruntur causæ, è quarum concursu exurgit causa continens asthmatis tuberculosi.

Talem affectum sequentia comitantur phœnomena. Adest summa respirandi difficultas, minor tamen quam in asthmate convulsivo, tussis sicca, sensus gravitatis & caloris in thorace. Pulsus frequens est, & parvus. Tussim sæpè excipit hæmoptysis, hæmoptysim, phthisis ; quorum omnium explicatio ex suprà dictis eruitur.

Hæc de triplici asthmatis specie præmittenda censuimus, ut in dicendis accuratior ordo servaretur, utque signa & phœnomena cujusque seorsim exposita, diagnosim redderent faciliorem. Hæc ipsa insuper phœnomena, & phœnomenorum causæ sigillatim assignata ad certiorem prognosim, & therapeïam methodicam, manu quasi deducunt.

Qui igitur errorem in praxi vitare desiderat, scrupulosè singula perpendat symptomata. Quid in hâc asthmatis specie, quid in alterâ observetur, secum reputet ; mox cognitæ speciei causam singularem investiget. Duplex autem se se offert processus curatorius ; alius ipso paroxismi tempore ; alius extrà paroxismum, ut sequentibus clariùs patebit.

In paroxismo asthmatis pituitosi id studeat Medicus. 1°. Ut materiem viscidam in glandulis bronchialibus aggestam attenuet & expectorationem promoveat. 2°. Majorem inimici humoris

moris affluxum à pulmonibus avertat. Primum obtinebit attenuantium & bechicorum adminiculo, inter quæ optimè seligere potest flores benzoïni qui utrâque virtute pollent, & in eâ asthmatis specie tantoperè commendantur. Ad secundum conducunt purgantia & diaphoretica selecta, quibus adjungi rectè poterunt expectorantia. Caveat autem Medicus nè inconsultò plures suadeat venæ sectiones (*a*); à primâ etiàm abstineat, nisi summa urgeat necessitas.

Extrà paroxismum, annitatur summâ ope, ut debilem pulmonum tonum resarciat: Ideòque camphoratam Monspeliensem, aut radicem squinæ in ptisanâ præscribat, quæ eò magis ad præcavendos asthmatis paroxismos conducent, quòd transpirationem juvabunt. Si saburræ in primis viis nidulent; has per cathartica aut emetica discutiat. Uno verbo singula appositis remediis oppugnet vitia, tùm in solidis, tùm in fluidis, quæ asthmati ansam præbere existimabit.

Asthma convulsivum varia expostulat auxilia, propter causarum diversitatem, inter quæ primum locum obtinet venæ sectio; quâ peractâ faciliùs per pulmones trajicitur sanguis licet contractos; adeòque observatur quòd tales asthmatici, priùs fermè suffocati, subitò quasi à mortuis in lucem redeant. Statim autem atque urgentioribus occurrerit, ad alia se accingat quæ sibi prò re natâ facienda incumbunt. Si v. g. ab aëris intemperie pendeat spasmus, ad laxantia sedantia, antispasmodica. Si à saburris in primis viis, ad purgantia, emetica; si à podagrâ repercussâ ad revellentia confugere debet, & sic porrò.

Extrà paroxismum eâ seligat quæ impedire possint quominùs turbetur ordo fluidi nervei; ideòque ad affectum singularem, subjecti attendere debet, & ad causas quibus obnoxius vivit.

Ad curationem asthmatis tuberculosi, indicare sufficiet quid in genere moliendum sit. Itàque vigente paroxismo, statim im-

(*a*) Riverius, de asthmate, pag. 246.

minuatur moles ſanguinis per venæ ſectiones pluries repetendas, ſivè plethora, ſivè ſanguinis rareſcentia, accuſanda veniant. Si ejus ſpiſſitudo, prægreſſâ ſimiliter venæ ſectione, illi per attenuentia, diluentia, diaphoretica, priſtinus debitusque fluor reſtituatur. Elapſo paroxiſmo, tenuis diæta ſuadenda eſt, interdùm celebranda venæ ſectio, diluentibus, aperientibus conſtanter utendum eſt; ut præcaveantur plethora, ſanguinis ſpiſſitudo &c, & tubercula aliquatenùs reſolvantur, quò ſpectant quoque flores benzoïni, qui diverſimodè maritari poſſunt (*a*). Ex iis omnibus quæ de aſthmate diximus, deducitur cuinam ejus ſpeciei potiſſimùm conveniant flores benzoïni. Rectè itaque concludemus in genere.

Ergò Aſthmati flores benzoïni.



QUÆSTIO QUINTA.

An Aurigini ſuccus fumariæ?

AUrigo, apud nonnullos icterus flavus, morbus regius, à colore ſortita nomen eſt, & adeſſe dicitur, quotiès univerſa cutis, flavo ſuffuſa colore, cernitur, cum variis functionum læſionibus. Morbus ille inter cachecticos decolores (*b*) optimè recenſetur.

Genericum icteri vocabulum varias ſui complectitur ſpecies, ratione coloris, vel cauſarum, valdè diſſimiles. 1°. Ratione coloris, alius flavus, alius viridis, alius niger, dicitur; poſterior, intenſior eſt prioribus, multoque periculoſior. Horum

(*a*) Deſauld, in tractatu de phthiſi tuberculoſâ.
(*b*) Illuſtriſſ. D. de Sauvages, nouvelles claſſes des Maladies, pag. 438.

in numero referunt multi icterùm album, licet vix eo nomine donari debeat, cum diversis stipetur symptomatibus. 2°. Ratione causæ: ea enim hæret primariò in ipso hepate, vel extrà hepar. Insuper, si ad eventum attendatur icteri; alius criticus deprehendetur, cum ægrotantis levamine, ut in febribus acutis (*a*); alius minus criticus, sed periculosus, qualis ille, qui inflammationum hepatis, ventriculi, & duodeni, fidelis observatur assecla. Nec obstat quòminus rursùs plures statuantur species, icteri illius, qui hepatitidem, ejusque eventum pedetentim subsequitur: de quibus videantur aphorismi Boërhavii (*b*). Brevis etiàm & chronicus, ratione curationis dicitur. Sed de his satis.

Icterus flavus de quo potissimùm hîc quæstio esse debet, ipso ægri conspectu, dignoscitur. Præter autem cutis flavedinem, plurimis stipatur symptomatibus, quæ tamen non eadem semper, nec eodem numero se prodere solent. Variant ergò ratione ipsius morbi intensitatis, durationis, & causæ: præcipua tamen ista sunt: lassitudo, in hypochondrio dextro pressionis sensus, inappetentia, alvus inconstans, fæces albidæ, animi languor, somnus inquietus, urina flava, crassa (*c*), linteamina, instar croci, tingens, & obscurè rubra, præcordiorum anxietas, respirandi difficultas, febricula, &c.

Sic breviter descripto morbo, ejusque enarratis symptomatibus, ad causam ejus proximam, accedere convenit: hanc autem in ipsius bilis flavæ misturâ, cum cæteris humoribus, reponendam esse censemus; quam misturam fovet, ipsius bilis regurgitatio ad vasa lymphatica, & ad sanguinis oceanum, ob præpeditam ejus excretionem versùs tubum intestinalem, vel ejusdem in hepate secretionem. Hanc si fingas, regurgitantem bilem in sanguine, cum eo permixtam, & circulantem, non fluentem intrà intestinorum cavum, statim se se offeret, tùm chylopoïesios, tùm variarum microcosmi læsarum

(*a*) De his vide Hypp. aphor. 64. sect. 4. & alibi.
(*b*) Vide Boërh. aph. dùm de hepatitide & ictero multiplici, ab aph. 914. ad 950.
(*c*) Frideric Hoffman, pag. 301. tom. 3.

functionum explicatio. Porrò ex prægreſſis conſtare videtur, omnia quæ bilis ſecretionem (a) excretionem lædere aut perturbare poſſunt, cauſarum remotarum numero adſtruenda eſſe; inter quas illæ primum obtinent, quæ à bilis vel hepatis vitio oriuntur, veſicæ felleæ, emiſſarii utriusque, aut canalis choledochi obſtructione: hùc ſpectant quoque, illius canalis vel inteſtinorum ſpaſmodeæ contractiones (b), quâcumque de cauſâ eveniant. Iis omnibus anſam præbere poterunt, bilis depravata indoles, ſpiſſitudo v. g. ipſius tanta quantitas, ut in ſanguine redundet, actio nimia fluidorum in ſolida, & reactio ſolidorum in fluida, ut fit in exercitiis immodicis longiusque protractis, animivè pathematibus, calculi, vermes, &c.

Aurigo quam albugineæ tunicæ, totius corporis habitus, urinæ color adeò clarè & diſtinctè deſignant, in genere periculoſa eſt. Cùm enim in ſanguine redundet bilis, ejus craſim pervertet. Sed quanta exindè malorum ſeges! His adde quòd cùm ad inteſtina non deferatur, totum chilificationis negotium perturbabitur; emerget chilus minimè idoneus ut humoribus ſanis inquilinus evadat: hinc altera morborum origo. Attamen variari debet præſagium, habito reſpectu ad morbi cauſam, ſymptomatum intenſitatem, & ad pravos jam in corpore inductos effectùs. Icterus recens, inveterato, curatu facilior eſt, qui verò inflammationi, obſtructioni validæ & inveteratæ, ſchirro hepatis ſupervenit, periculoſiſſimus. Si à venenis pendeat, horum energiam prognoſis ſequetur. Si à calculis, non curabitur, niſi expellantur calculi. Si icterus flavus ad nigrum inclinet, majùs imminet periculum. Si tandem cauſis gravibus debeat natales, & ſit inveteratus; meritò metuetur hydrops. (c).

Antequàm quidquàm moliatur Medicus in auriginis curatione, cauſam illius anteà rimetur. Si icterum judicet ſymp-

(a) Boërh. in inſt. parag. 817.
(b) Frid. Hoffm. p. 302. tom. 3. icterus à colicâ hiſtericâ. Sydenham, pag 132.
(c) Jodoci Lomnii, obſerv. med. pag. 195.

tomaticum

tomaticum, non priùs ſymptoma fugabit, quàm ipſum morbum debellaverit. Si venenum accuſetur; huic obnitendum eſt per appropriata remedia. Si à calculis veſicam felleam obturantibus, ductumvè cyſticum, vitetur ſedulò quidquid, novæ calculorum generationi favere poterit; cui ſcopo ſatisfacient diluentia & aperientia, cautè præſcripta, quibùs addenda ſunt narcotica, ſi dolores urgeant. Si exercitia immodica, & animi pathemata; motus ſolidorum & fluidorum compeſcendus erit; tùncque præmiſſis venæ ſectionibus, iiſque repetitis ſi neceſſe ſit, in auxilium adhibeat temperantia laxantia, diluentia, levibus aperientibus ſociata; purgatione leni præmiſſâ, & repetita ſi caſus exigat. Si ſchirrus hepatis, vel inveteratæ obſtructiones, hunc morbum creaverint, ſatiùs erit, medicamenta aperientia (ſaltem fortiora) vitare nullumque niſi palliativum præſcribere, nè ſchirrus in cancrum mutetur. Si tandem icterus flavus, recens, levibus obſtructionibus, ſpiſſitudini ſanguinis, bili viſcidæ nimis, tribuendus ſit; peroptimum erit incidentium, attenuantium, diluentium adminiculo, priſtinum fluorem bili, ſanguinique reſtituere. Hæc ſi ſuccedant votis, ſenſim in melius vertentur omnia: cùm autem ſuccus fumariæ, non secùs ac ejus decoctum, aut infuſum, iis donetur viribus; apprimè conferat ad obſtructiones hepatis reſerandas (*a*) bilem inſuper per urinæ vias eliminet, imò & per alvum, ſi majori doſi propinetur, rectè concludemus.

Ergò Aurigini ſuccus fumariæ.

(*a*) Raius pag. 405. Fumaria diuretica eſt ut & ſudorifica: obſtructiones hepatis reſerat, per urinam icterum ducit. Purgat bilem & humores aduſtos, verùm magnâ doſi exhibita. De his etiàm vide Boër. Tournef. Garidell. & alios.

En fumariæ tres ſpecies uſitatiores.

Fumaria officinarum & dioſcoridis flore purpureo. C. B. Pin.

Fumaria officinarum & dioſcoridis flore palleſcente. C. B Pin.

Fumaria officinarum & dioſcoridis flore albo. C. B. Pin.



QUÆSTIO SEXTA.

Cuinam speciei sanguificationis læsæ, conveniant martialia?

QUì possem propositæ quæstioni facere satis, si solis quas tradidere antiqui morborum divisionibus, credere vellem? Existimabant enim, non nisi partes solidas, in morbis affici; iisque solis propriè conflari corpus humanum; fluida verò, quæ juxtà ipsos, quantitate tantùm peccare poterant, & qualitate paucis circumscripta vitiis obscurè explicatis; solidorum morbis, ansam tantummodò præbere posse. Quam vana futilisque sit illorum opinio luculentissimis recentiorum *(a)* evincitur ratiociniis. Quidam tamen inter neotericos, antiquorum sententiæ, paucis immutatis, astipulati sunt *(b)* (*c*). Sed pace tantorum virorum; cum quotidianâ observatione, plurimis vitiis contaminari fluida compertum fit, recentem anteponam, quæ & clarissimos in arte viros fautores habet (*d*). Diversa itàque sanguificationis vitia expositurus; 1°. Quid sit sanguificatio, paucis dicam. Per sanguificationem intelligimus mutationem illam quam pa-

(*a*) Illustriss. D. Fizes path. pag. 15. & seq.

(*b*) Hequet. Omnium morborum originem duci à solidis tensis, aut laxis, ubicumque proclamat. Legatur tractatus Med. nat., & præcipuè oratio in tom. primo. Contendit enim vasa omnia, fibris nerveis, constanter fluido nerveo transmittendo dicatis, instrui. Si continuo filo currat fluidum, robur: tensio, si copiosiùs aut velociùs fluat: atonia, si imminuatur. Inquinari posse fluidum illud (quod aëreum, purius aëre communi, supponit), prò diversis resorptis particulis, intrà aërem atmosphericum volitantibus, vel in alimentis contentis; vel tandem supprimi usu acidorum, præcipuè mineralium, intùs assumptorum, vel inspiratorum; sanguinem verò peccare rarefactione, aut quantitate, nullo alio assignato vitio.

(*c*) Baglivi, maximam morborum partem, vitio solidorum tribuit, ut videre est pag. 219. de fibrâ motrice & morbosâ. Editio Lugd. 1703.

(*d*) Boërh. path. pag. 377. Astruc in suâ path.

titur chylus dùm in ſanguinem convertitur. Vi tantùm mechanicâ, non verò fermenti peculiaris inditi dextro cordis thalamo, miſtione perficitur: Quâ enim proportione ad ſubclaviam devectus, inſtillat chylus; ingenti ſanguinis quantitate, continuò tranantis abripitur devehendus ad dextram cordis auriculam, è quâ ut potè lacertis inſtructâ, in cor dextrum pellitur; hinc ad vaſa pulmonalia, (præcipua ſanguificationis organa). (*a*) In toto illo tractu, conquatitur; in pulmonibus verò, exactiſſimè juxtà innumeras vaſorum diviſiones ſeparatur; vi parietum in quos impingit, & à quibus iterùm repellitur, magis atteritur & miſcetur accuratiùs cum ſanguine. Tandem ad ventriculum cordis ſiniſtrum, ducitur, undè contracto corde, de novò conquaſſatus, ad omnes corporis partes amandatur, in quibus ulteriores adhùc diviſiones, & mutationes experitur. Minutiſſimæ partes chyli, ſic attriti, diviſi, exactè permixti cum ſanguine iteratis circulationibus, in globulos lymphaticos abeunt, qui ſibi invicem juſta proportione adunati, rubrum efformant globulum. (*b*) (*c*).

Ex ſuprà dictis liquet ſanguificationis læſæ cauſam, à vitio quodam chyli, & ſolidorum ſimùl, vulgò eruendam eſſe. Quotuplici ergò modo, lædatur ſanguificatio, facilè concipi poterit cùm vitia fluidorum & ſolidorum expoſuerimus; quod brevitatis cauſâ promiſcuè exequemur.

Ad tria potiſſimùm capita, reduci poſſunt fluidorum vitia: ad quantitatem nempè, motum, & qualitatem. Cùm autem humorum vitia in quantitate, adauctâ, vel imminutâ, abſolutè vitii nomine deſignari non debeant, nec ad quæſtionem propoſitam plurimum ſpectent; de his ſilebimus. Inſuper cùm humorum motus, tam adauctus quàm imminutus, ſæpiſſimè, pravam eorum qualitatem redarguat; non multùm à noſtro diſcedemus munere, ſi à vitiis humorum enarrandis, quatenùs à motu pendent, abſtineamus. In iis ergò deſcriben-

(*a*) Boërhav. Phiſiol. pag. 120. §. 208.
(*b*) Leuvvenhoek, epiſt. 56. pag. 8.
(*c*) Qui de his plura volet adeat tract. de corde, Autore Illuſtriſſimo D. de Senac, pag. 75.

dis vitiis quæ in qualitate ponuntur, hîc toti erimus cum ſanguificationem læſam præcipuè conſtituant.

Sanguis ex naturâ ſuâ, diverſis ſubſtantiis quæ nudis obviæ ſunt ſenſibus, lymphâ aut ſero, parte mucilaginoſâ, quæ in patellâ fibroſa evadit; tandem globuloſâ purpureâ, conficitur. Inſunt prætereà partes oleoſæ volatiles, & ſales ſalſi (a) Certo quodam ordine, certâque invicem temperantur proportione, illa ſanguinis diverſa principia, ità ut ſi quid illorum exceſſu, vel defectu peccaverit; exindè vitium ſtatim exſurgat. Inquinatus quoque habebitur ſanguis, ſi cum ipſo quid miſceatur heterogenei. Hinc duplex generale vitium: in diatheſi nempè malâ, & in dyſcraſiâ.

Sanguinis viſcoſitas, intimiori molecularum contactui, & adhæſioni majori debetur. Poſitâ ſemel in ſanguine redundantiâ partis mucoſæ, in eâdem proportione, imminutâ partium lymphaticarum & globuloſarum quantitate, facilè ſtabilietur vitium illud. Quæ igitur, motum ſanguinis progreſſivum retardant, ut plethora vera; quæ condenſant fluida, ut acida; quæ craſſum, tenacem, ſuppeditant ſanguini chylum, ut alimenta viſcida; quæ fluidiora evacuant, ut purgantia, inter cauſas remotas, optimè recenſenda eſſe evidenter patet. Huic debellando vitio conducunt, diæta ab omni viſcido aliena, ad alkalinum vergens, exercitium moderatum. Cùm autem non detur erethiſmus in ſolidis, attenuantia remedia, aquæ ferruginoſæ, martialia, antimonialia &c, veniunt præſcribenda. Si autem inflammatio, hunc ſanguinis ſtatum concomitetur, egregii tunc erunt auxilii venæ ſectiones, diaphoretica levia, ut ſuccus borraginis, &c. Tandem ad alkalina recurrendum, cùm priùs conſtiterit vitii cauſam, ab acido manifeſtè declarato, eſſe deſumendam.

Sanguinis fluxilitas tribuenda eſt, rariori, minorique molecularum contactui; undè adhæſio minor erit. Si partem ſeroſam, & globuloſam fingas, mucilaginoſæ prævalere, fluxilitatis cauſam erues facillimè. Huic diatheſi anſam præbent,

(a) Illuſtriſſ. D. De Lamure, conſpect. phyſiol. pag. 17.

quæcumque

quæcumque chylum aquoſum nimis reddunt, quæ conſuetas ſanguinis, urinæ, ſalivæ aquoſas evacuationes ſupprimunt,&c. Tandem, quæ partem ſanguinis rubram, nimiùm imminuunt, ut ſanguinis uberior detractio, aut frequentior. In eo vertit indicatio curatoria, ut nativa fluidis reſtituatur proportio; reſtituetur autem, partem redundantem evacuando, mucilaginoſam verò adaugendo. Si igitur abundet aquoſus latex; per diætam ſiccam exercitationem fortem, purgantia valida, diuretica calida, & ſudorifica, inchoanda eſt medela. Si verò à ſuppreſſis evacuationibus, ad id collineandum ut quàm primùm reſtituantur. Porrò cùm vitium illud in fluidis, ſolidorum quoquè complectatur ſegnitiem, perutilis erit externus tonicorum uſus; ſtuparum v. g. ammochoſiæ. Pituitoſæ intemperiei nomine deſignatur illa humorum conſtitutio, quæ in leucophlegmaticis obſervari ſolet.

Conſtitutio ſanguinis acris,unà cum ſpiſſitudine,pendet à ſcatente ſale muriatico, cum diſſipatione lymphæ, & præſertim mucidi adunatione, & aggeſtione globulorum. Eò vergit indicatio curatoria, ut ſanguinis acrimonia retundatur, diluatur, atteraturque pars globuloſa. Ad hunc ſcopum diætæ diluenti, & humectanti, juniorum animalium uſui, indulgeat æger. Diluentia edulcorantia, mucilaginoſa, lacticinia, ſubacida, balnea, ſemicupia, diuretica frigida, apprimè conducunt in principio: mox aperientia cum edulcorantibus maritata veniunt adhibenda, quæ ſecundam adimplebunt indicationem. Complicatur cum erethiſmo ſolidorum, dyſcraſia illa, arguens diſpoſitionem phlogiſticam, in hiſtericis & melancholicis, obſervanda. Sanguis autem ſic conſtitutus, melancholicus appellari poteſt. Obtinebit diſſolutâ ſanguinis diſcraſia, quoties pars mucoſa, intermixto ſale quodam muriatico, diſſolvetur & difflabitur, ſupererit intereà pars ſeroſa, cum globuloſâ permixta. Hæc ſi ità fiant; reſiduus ſanguis, colore vividiori donabitur. Minor porrò molecularum contactus, ratione particularum ſalis interpoſitarum, unà cum defectu mucidi, cauſam hujus dyſcraſiæ proximam exhibet. Ad talem ergò in humoribus procreandam dyſcraſiam, conducunt maximè, quæcumque partes ſalinas

& acres, chylo in oceanum sanguinis devehendo, suppeditant, vel quæ impediunt, quominùs jàm nati, & evoluti sales, per quandam excretionis viam, eliminentur: hùc quoque faciunt, quæ sanguinis mucilaginem consumunt, qualia sunt liquorum ardentium abusus, motus nimis validi, longiusque protracti, &c. Huic succurritur dyscrasiæ. 1°. Diæta humectante, edulcorante, usu alimentorum mucilaginosorum, quiete diuturnâ. 2°. Remediis diluentibus, incrassantibus, ut salium actio retundatur; mucilaginosis, ut mucosa pars sanguini restituatur. Lacticiniis, cremoribus diversis, mira præstari praxis edocet, cùm vitium chronicum est. Verùm cùm acutum est, & ad alkalescentiam multùm vergunt humores; acida, tùm mineralia, tùm vegetabilia, sunt usurpanda. Tandem si primæ viæ afficiantur, purgantibus antiphlogisticis utendum est. Hæc humorum constitutio quam comitatur solidorum erethismus, ad biliosam antiquorum referri potest.

Cacochymia sanguinis purulenta, ea est in quâ, pure in massam sanguineam retropulso, à parte peculiari ubi perficiebatur, dissolvitur sanguis, in colliquationem abit. Incrassantibus ergò, edulcorantibus, detergentibus, huic vitio adversabimur. Cùm ægri, insigni levamine lac purum aut alteratum decoctione quâdam abstergenti, præscribitur. Accidit sæpè ut lacte gravetur, & molestè afficiatur ventriculus; quo in casu ad juscula edulcorantia confugiendum est.

Virulenta sanguinis cacochymia, sub duplici respectu considerari potest; quatenùs nempè, chronica est, aut acuta. Chronica, acris simùl, & grumosa, ut in viru syphilitico, &c. Acuta, acris dissoluta, ut in peste, variolis malignis, &c. (a). In primo casu conveniunt, diluentia cum edulcorantibus, quorum usum excipere possunt, aperientia cum edulcorantibus maritata. Tandem peculiari cuique viru, peculiare opponendum est remedium. Sic balnea, & hydrargirum, syphilitidi, &c. In secundo casu, acescentia, incrassantia, diluentia conveniunt.

(a) Illustriss. D. de Sauvages pathol. pag. 101.


Tandem variarum ſanguinis partium miſtura, adeò imperfecta, ut pars globuloſa, in grumos quaſi abeat, dùm lympha ad acidum vergens, ſua difficilè percurrit vaſa, ſolidis ſignitiem inferendo, chloroticam conſtituit diatheſim: cui ut afferatur medela, ſingularis illius inveſtiganda cauſa eſt. Si à catameniis ſuppreſſis, emmenagoga: ſi à mœrore, auxilia moralia, blanda cum amicis colloquia, ſuadenda ſunt. Diæta conveniens ſervetur, ab abſurdis ſe abſtinendo. In hoc affectu, maximè, & quidem merito, commendatur martialium uſus: virtute enim aperienti, & tonicâ gaudent; aperienti, globulos ſanguinis atterendo, eos pares reddunt, qui cum lympha & muco, intimiùs jungantur: tonicâ, vaſis laxatis, & debilitatis, tonum & robur reſtituunt, quorum ope validiùs impingunt in fluida, ideòque accuratior eorum obtinetur miſtura. Omni igitur ex parte, indicationibus iſtius diatheſis ſpeciei, ſatisfaciunt martialia. Accidit quandòque, ut ſtomachus, martialia reſpuat; non tamen ab iis abſtinendum eſt; ſed ut cautè præſcribantur, à præparationibus martis levioribus inchoetur: ſin autem à croco vel ferro puro; à minimâ doſi, ad majorem ſenſim accedat,

Quamquam autem vitium iſtud, præcipuè chloroſi producendæ, dicaverimus, non negamus idcircò, plures alios morbos, ab eo exouriri poſſe. Exiſtimamus inſuper, ipſam chloroſim, ab aliis ſuprà recenſitis humorum dyſcraſiis, ſeparatim vel conjunctim, induci poſſe. Ideò igitur tantum, talem diatheſim vitium diximus chloroticum, quia, ut plurimùm, affectuum chloroticorum, origo habenda eſt.

Patet, ni fallor, nullum eſſe ſtatum ſanguinis vitiatum, qui erui non poſſit, ex vitiis recenſitis, diverſimodè combinatis. Singulari cuique ſpeciei ſanguificationis læſæ, propria & peculiaria aſſignavimus remedia, inter quæ de martialibus quæſtio fuit.

Ergò quæ hactenùs diximus, ſufficienter indicant, cuinam ſpeciei ſanguificationis læſæ, conveniant martialia.

FINIS.



ERRATA.

PAg. 10. *lin. ult.* ſectione, *leg.* ſectiones.
Pag. 11. *circà tit. Quæſt.* 3. alexitaria, *leg.* alexiteriæ.
Pag. 12. *lin.* 17. temulantiam, *leg.* temulentiam.
Ibid. *lin.* 25. plereque, *leg.* pleræque.
Pag. 16. *circà finem*, ſtupiditatam, *leg.* ſtupiditatem,
Pag. 21. *lin.* 21. ſquinæ, *leg.* chinæ.

Cætera Lector benevolus emendabit.